

Sacr. Congr. in Nullius 9 Octobris 1635. lib. 2. *Dec. Vallem.* pag. 235. (40. Clericus laudatus non potest declinare forum Judicis Laici, quando sententia dirigitur contra Laicum laudantem, secus si dirigatur contra Clericum laudatum; eadem Sac. Congr. in Bojanen. 4 Septemb. 1640. lib. 3. *Decr. Paul.* pag. 128.

(41. Filius legitimus Clerici ante Clericatum susceptus gaudet privilegio Fori durante vita Patris; Sac. Congr. Immun. in Gallien. 18 Martii 1631. lib. 2. *Decret. Paul.* pag. 99. (42. Et licet gaudeat privilegio fori, non ideo est incapax Officiorum Communitatis; ead. Sac. Congr. in Urbinen. 13. Jun. 1640. lib. 3. *Decret. Paul.* pag. 120. (43. Verum filii Clericorum non gaudent post mortem Patris privilegio fori; ead. Sac. Congr. in Bisignan. 28 Novemb. 1653. lib. 5. *Decr. Paul.* pag. 24. (44. Filius Clerici Græci, quatenus sit legitimus, vivente Patre, gaudere debet privilegio fori, ead. Sac. Congr. in Hydruntina 29 Septemb. 1624. lib. *Scripturarum vet.* pag. 39. et in Cassanen. 21. Mart. 1645. lib. 3. *Decr. Paul.* pag. 247. (45. Filii Græcorum Ritus Græci redeunt ad convivendum cum Matribus Viduis gaudere debent privilegio Fori, ead. S. Cong. in Nullius S. Mariæ del patre 15 Maii 1628. lib. 2. *Decret. Altoviti* pag. 1546. (46. Fori privilegio gaudet ille, cui reservata fuit pensio Ecclesiastica, cum ad hunc effectum pensionem obtinens habeatur pro Clerico; Sac. Congr. Conc. teste Didaco Narbona de ætate ad humanos actus requis. ann. 14. q. 59. num. 10. et Armendar. in addit. ad recop. legum Navarra lib. 2. tit. 19. *de Foro compet.* num. 3 et 7. (47. Etiam si non incedat in Habitu et Tonsura; ead. Sac. Congr. Conc. apud Nicol. Garciam *de Benefic.* part. 1. cap. 5. n. 70. et novissime ead. Sac. Congr. Conc. in Portugallien. 10 Apr. 1622. apud Barbos. *de Offic. et potest. Episcop.* part. 3. alleg. 57. num. 151. et in summa *Apostolicar. decis.* verb. *Fori privilegium* n. 7.

(48. Fori privilegio gaudet Protonotarii Honorarii, etiam si Ecclesiæ non inserviant; Sac. Congr. Conc. sub die 9 Jul. 1626. nec servitio alicujus Ecclesiæ adscripti sint, dummodo in habitu Clericali incedant: ead. Sac. Congr. in Toletana 27 Mart. 1632. quam refert Bonfadin. in *Thesaur. Ecclesiast. dec.* resolut. 17. n. 20. (49. Fori privilegio gaudet de præsentia Laicus pro tempore quo fuit Clericus; Sac. Congr. Immun. in Nullius Garopoli 9 Septemb. 1631. teste Bonfadin. dict. resolut. 17. num. 25. (50. Fori privilegio gaudet Clericus qui ante incarcerationem reassumpserat habitum; Sac. Congr. Immun. in Rossanen. 18 Mart. 1631. apud Bonfad. dict. resolut. 17. num. 24. (51. Equites Regulares quorumcumque Ordinum Militarium gaudent Fori privilegio; Sac. Congr. Immun. in Assisiens. de Mense Decembris 1627. in qua annuente Sanctissimo mandavit Placidum Bentium Equitem Christi ad Forum Ecclesiasticum esse remittendum, de qua meminit Sperell. dec. 2. num. 120. Ead. Sac. Congr. in Mantuana 25 Septemb. 1617.

censuit Equitem Religionis Constantinianæ inquisitum, et carceratum a Ministris Ducalibus consignari Episcopo Mantuano una cum originali processu facto, quamvis nullo, qui ut delegatus causam cognoscat, audito Procuratore Ducali, et facta consignatione, ut supra, mandavit, quod Dux absolveretur, et omnes complices ab Episcopo, apud Sperell. dec. 2. num. 120. Barbos. in *Summa Apostol. dec.* verb. *Eques Regularis*, n. 4.

(52. Fori privilegio non gaudent illi, qui in accendis lampadibus et aperiendis Ecclesiæ portis deserviunt; Sac. Congr. Episcop. et Regul. sub die 28 Januar. 1663, apud Barb. in *Summa Apostolic. decis.* verb. *Fori privilegium* num. 19. (53. Filius Cancellarii Curie Episcopalis non gaudet privilegio Fori; Sac. Congr. Immun. in Interamnen. 1 Februar. 1661, lib. *Decr. Rocci* pag. 213. (54. Filius Titii quondam Fiscalis Curie Episcopalis non gaudet privilegio Fori; ead. Sac. Congr. Immun. in Balneoreg. 8. Apr. 1642, lib. 3 *decr. Paul.* pag. 172. (55. Filius seu Nepos subaffictuarii honorum mensæ Episcopalis non gaudet privilegio Fori; ead. Sac. Congr. Immun. in Ravenat. 28 Januar. 1618, lib. 2 *decr. Altov.* pag. 2146. (56. Filii Colonorum Ecclesiasticorum, etiam si sint partiarum, non gaudent privilegio Fori, ead. Sac. Congr. Immun. in S. Agathæ Gothorum 4 Jun. 1630, lib. 2 *Decr. Paul.* pag. 41. (57. Attamen Filii Colonorum Partiariorum Mensæ Episcopalis, et alii de eorum Familia inhabitantes cum eisdem Colonis, et bona ejusdem Mensæ colentes, gaudent privilegio Fori, prout gaudent ipsi Coloni; ead. Sac. Congr. Immun. in Urbeveta 6 Mart. 1635, l. 2 *Decr. Paul.* pag. 222, in Civitatis Ducalis 13 Jul. 1638, l. 1641, d. l. 3 *Decr. Paul.* p. 65, in Interamnen. 16 Julii lib. pag. 151, in Anagnina 27 Dec. 1679. lib. 2, *decr. Altov.* pag. 1000.

(58. Pro complemento verbi *Fori* notandum, quod sæpe per *Forum* intelligitur *Judicium, Jurisdictio, Potestas.* Et in hoc sensu dicitur, quod aliqua causa pertineat ad Forum Ecclesiasticum, si pertineat ad Judicium, Jurisdictionem, seu potestatem Ecclesiasticam, et quod aliqua spectet ad Forum sæculare, si pertineat ad Judicium, Jurisdictionem, et Potestatem sæcularem, et quod aliqua sit mixti Fori, si pertineat ad utramque Jurisdictionem, seu potestatem. (59. Causa mixti Fori dicitur illa, quæ in utroque Foro tam Ecclesiastico, quam Laicali tractari potest, ita ut detur locus præventioni. Sic colligitur ex cap. *Sunt quadam* 23, qu. 5, et c. 1, *de Offic. Ordin.*, ac notat Sac. Congr. Immun. in Sorana 18 Febr. 1631, apud Pignatell. tom. 5, consult. 2, n. 58. Sic causa mixti Fori est, quando persona est Sæcularis et pœna statuta est a Jure Canonico, et tunc datur locus præventioni; Sperell. dec. 9. La Croix lib. 4, num. 1412, Florentinus, Delbene, et alii. (60. Unde causa rixæ secutæ inter Mulieres in Ecclesia spectat ad Gubernatorem stante præventionem reali; Sac. Congr. Immun. in Signina 17 Jun. 1663. lib. *Decr. Rocci* pag. 496. (61. Punitus ab uno Judice

super crimine mixti Fori non potest amplius regulariter accusari, ac puniri in altero Foro, quia nec Deus judicat bis in idipsum; Nahum c. 1. et cap. *Sunt plures* § *Auctoritas, de penit.* dist. 3. Nec de delicto unius hominis sæpius quæritur, c. *de his Criminibus* 6, *de Accusat.* Simulque bona fides non patitur, ut semel exactum, iterum exigatur; *Regul.* 83, *Juris* in 6. Et sic tenent Abbas in cap. *Tuæ* n. 5, *de Procurator.*, et cap. *Cum sit generale* num. 1, *de Foro comp.*, Covarruvias lib. 2, var. *resol.* cap. 10, num. 6, Barb. in cap. *Felicis* n. 38, *de panis* in 6, et alii ab his citatis.

(62. Forum aliud dicitur externum, sive *Forum Fori*, in quo tractantur causæ in ordine ad externam gubernationem Reipublicæ, sive Ecclesiasticæ, sive Sæcularis; et aliud internum, sive *Forum poli*, seu *Conscientiæ*, quod intus in mente hominis, ubi conscientia est, exercetur; Communis. (63. Forum internum aliud dicitur *Pœnitentiæ*, in quo aliqui geritur interveniente Sacramento Pœnitentiæ, sive Absolutione Sacramentali. Et aliud non Pœnitentiæ, in quo aliquid geritur sine sacramento pœnitentiæ uti si aliquis extra Sacramentum absolvatur a Censura vel Reservationem peccati. Unde ex his patet forum *Pœnitentiæ et Conscientiæ* non esse idem. Nam Forum *Conscientiæ* est quid commune Foro Sacramentali, et non Sacramentali. Forum autem Pœnitentiæ comprehendit solum Forum Sacramentale; Communis. (64. Forum contentiosum dicitur ex eo, quod in illo contendatur, seu litigetur. Unde illud dicitur deductum ad Forum contentiosum, super quo ad Judicem jam delato facta est contestatio litis; arg. cap. *Ex parte* 10. *de verbor. Significat.* Communis.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

Libet paucis disserere de Foro dumtaxat Ecclesiastico competenti.

(65. Forum Ecclesiasticum competens est vel ratione causarum, vel Personarum. Si ratione causæ forum Ecclesiasticum fundatum est, ratio haud habetur Personarum; Christianus Michael Bohnius *de Laicis For. Eccles.*

(66. Causæ ad Forum Ecclesiasticum spectantes vel sunt Civiles, vel Ecclesiasticæ vel mixtæ.

Causæ civiles etsi regulariter ad Forum Ecclesiasticum haud pertineant, C. 7. *Qui filii sint legitim.*, ex accidenti tamen pertinere pluribus modis ad ipsum queunt.

(67. I. *Ratione peccati* circa causam civilem sub prætextu juris commissi, vel committendi, adeoque præcavendi. Quem in finem quicumque Laici denunciari possunt iudicio Ecclesiastico, ut præcaveatur, ne sub prætextu juris peccatum committatur. Pone esse statutum, quod præscribens sive cum bona, sive cum mala fide tutus sit. Adversus eum, qui cum mala fide præscripsit, nullum in Foro sæculari suppetit remedium. At denunciari hic potest Foro Ecclesiastico ne sub prætextu juris committat peccatum. Vide alia exempla apud Felin. in c. 13. num. 5. et seq. *de Judic.*, tum apud Scacc. *de Judic.* lib.

1. c. 53. n. 4. Denunciatio hæc dicitur evangelica, et, ut vides, introducta est ut Judex Ecclesiasticus imploratus super quacumque causa procedere queat, si peccatum imminere videatur. Scripsit contra eam Thomasius in dissertat. *de Usu practit. denunt. evangel.* At ex ipsis protestantibus ipsam tuentur Brunemann. *Jur. Eccles.* lib. 3. cap. 6. § 9. et de Jena in tract. *de denunc. Evangel.*

(68. II. *Ratione denegatæ justitiæ.* Si enim Judex laicus suo desit officio, nec integram justitiam administret, de causa cognoscere potest Judex Ecclesiasticus, ut supplere possit defectum Judicis sæcularis; Cap. 6. *de For. compet.*, ibique Gonzal. num. 5. Sed an denegata justitia a Judice Ecclesiastico de causa cognoscere queat Judex laicus, magna controversia est. At contrariis confutatis negativam tenent sententiam Gonzal. in c. 17. fer. per. tot. *de Judic.* Ansal. *de Jurisdict.* par. 3. cap. unic. tit. 21. aliique.

(69. Addi III. possunt causæ de omnibus et quibuscumque negotiis quibus juramentum accessit; c. 13. *de Judic.* et cap. 3. *de For. compet.* in 6.

(70. Causæ Ecclesiasticæ vel sunt civiles, vel criminales. Civilium nomine veniunt quæcumque causæ de Rebus spiritualibus, vel annexis spiritualibus, inter quas jus patronatus eminet; cap. 3. *de Judic.* Cognoscere de iis debet Judex Ecclesiasticus, tum in petitorio, tum in possessorio si reus sit clericus; Barbos. *Jur. Eccles. univ.* cap. 39. num. 73. et seq. Wiestner. in *Decretal.* lib. 2. tit. 12. n. 116. Quod si Reus sit laicus, cognoscere et de ipsis in possessorio debet Judex Ecclesiasticus, si titulus quoque edendus, vel saltem colorandus; Oliva *de For. Eccles.* part. 1. q. 8. num. 53. et seq. Sperell. dec. 8. num. 25.

(71. Criminalium vero nomine veniunt Causæ de delictis Ecclesiasticis, ut sunt delicta Hæreseos, Schismatis, Apostasiæ, Simoniam, etc., de quibus et Judex Ecclesiasticus debet cognoscere.

(72. Causæ mixti fori illæ sunt, quæ tam coram Judice Laico, quam coram Judice Ecclesiastico agitari queunt, ita ut operetur præventio. Ad eas referuntur causæ miserabilium personarum; c. 26. *de verb. Signif.* in fin. licet alii contradicant obs. 11. *de For. compet.* Confer. tamen Oliv. *de For. Eccles.* part. 3. quæst. 40. Item contractuum usurariorum; Werber. *de Jur. Consist.* c. 27. sect. 19.; concubinatus, adulterii, stupri, incestus, et aliorum delictorum carnis; Tondut. *de Prævent.* p. 2, cap. 28.; tum aliorum criminum, turbationis scilicet sacrorum, violationis festorum, etc.

(73. Hactenus de Foro Ecclesiastico competente ratione causarum. Agendum nunc de Personis, quæ ei subjiciuntur in causis civilibus.

(74. Ei subjiciuntur Clerici cujuscumque generis, et ita quidem, ut nec per prorogationem voluntariam, tametsi juramento confirmatam, queant Judicis sæcularis cognitioni sese subicere; cap. 12. *de For. competent.*, nec reconveniri queant coram eodem Judice

sæculari; c. 12. eod. tit. Cæterum quoad Clericos qui nondum sacris ordinibus sunt initiati, Concilium Tridentinum ita statuit: « Fori privilegio non gaudent Clerici prima tonsura initiati, aut etiam in minoribus ordinibus constituti, nisi beneficium Ecclesiasticum habeant, aut Clericalem habitum et tonsuram deferentes alicui Ecclesiæ ex mandato Episcopi inserviant, vel in Seminario Clericorum, aut in aliqua Schola, vel Universitate licentia Episcopi quasi in via ad majores ordines versentur. »

(73. Extensum autem est hoc privilegium Clericorum ad totam Familiam ipsorum. Quinam autem veniant sub Familiam Clericorum explicant Klok vol. 1. consil. 39. num. 45. Bruneman. *Jur. Eccl. univers.* l. 3. c. 1. § 12. Illud tamen certum est, non venire Famulos conductos; Gonzal. in cap. 10. n. 3. et seq. *de Offic. Archidiacon.* Barbosa *Jur. Eccl. univers.* lib. 1. cap. 46. § 2. n. 57.

(76. Item extensum est ad servos dotales Ecclesiarum; Gonzal. in cap. 10. n. 4. *de Offic. Archidiacon.* Stamm. *de Servit. personal.* lib. 11. cap. 7. n. 6. et conveniunt de hodiernis etiam servis dotalibus Ziegler. *de Dot. Eccl. c.* 12. § 39. Schilter. in *Prax. Jur. Roman.* exerc. 6. § 74. in fin.

(77. Et in aliquibus locis extensum est præterea ad Scholarum Publicarum præceptores.

(78. Nota hic, quod hoc privilegium Fori est immutabile, quum Clerici, qui characterem receperunt, laicorum sortem induere nullo modo queant, sed etiam depositi vel suspensi Clerici maneant, et privilegio Fori fruuntur; Gonzal. in cap. 10. n. 11. *de Judic.* Wiestner in *Decretal.* tit. *de Pœnis* n. 7. Quod si vero degradatio solemniter accessit, tum demum in laicalem conjiciuntur statum, et brachio sæculari traduntur, et privantur omni Fori privilegio; c. 2. *de Pœnis* in 6.

(79. Tum nota, Forum Ecclesiasticum prædominari, si vel maxime in una eadem-

FRANCHITIAE.

SUMMARIUM.

1. ad 58. Plura afferuntur Decreta ex Sacra Immunitatis Congregatione.

(1. Franchitia Ecclesiasticorum non potest, nec debet reduci; Sac. Congregat. Immun. in Aquilana 5 Martii 1631, lib. 5. *Decret. Paul.* pag. 138.

(2. Quare nihil innovandum est circa diminutionem Franchitiæ Clericorum, sed servandum est solitum; ead. Sac. Cong. Immun. in Sulmonen. 10 Januar. 1639. l. 3. *Decret. Paul.* pag. 84. Hoc idem dicitur de Franchitiis Monialium; ead. Sac. Cong. in Sarnen. 7. Maii 1638, lib. *Decr. Rocci*, pag. 89.

(3. Ecclesiastici gaudent Franchitia, non obstante transactione, quæ ex defectu Beneficii Apostolici est omnino irrita, et non confirmanda; ead. Sac. Cong. Immun. in Consentina 21 Sept. 1633, lib. 2. *Decr. Paul.* pag. 171.

(4. Episcopus quamvis absens debet gaudere Franchitia pro fructibus suorum honorum; ead. Sac. Cong. Immun. in Agrigen-

que causa Clericus cum Laico sit conveniendus, cum continentia causæ non sit dividenda, et hoc modo dignius Forum, quale est Ecclesiasticum, sit præferendum; Berlich. p. 2, dec. 220, num. 24.

(80. Cæterum non aliter Clerici Fori privilegio gaudent quam si Reorum vices teneant. Sin autem convenient Laicum, coram Judice Laico litigare tenentur; cap. 5, *de For. compet.*, quum Actor sequi debeat Forum Rei. Facile autem est et hoc decidere, an Clerici moto concursu Creditorum, tum ex l. *diffamari* conveniri queant coram Judice sæculari; vide tamen Strick. ad Brunemann. *tract. de concurs. Credit.* c. 1, § 2, et Mev. p. 4, dec. 213. Quid si denuncianda sit lis Clerico, quideevictionetenetur? Vide Burgund. *de Evict.* c. 67, n. 3 et seq.

(81. Nec Clerici alique gaudent privilegio Fori, quum non principaliter lis primum contra eos movetur, sed jam mota contra eos continuatur, idque quia liti pendencia haud mutatur per intervenientem mortem Rei; Oliva *de For. Eccl. part.* 3, quæst. 24, num. 23.

(82. In causis criminalibus Clerici quoque subjiciuntur Foro Ecclesiastico, de quovis crimine conveniantur, nec aliter ad Forum sæculare trahendi sunt, quam ut supra diximus postquam degradati fuerint. Quod si dubitetur utrum delinquens sit Clericus, an laicus, cognitio ad Judicem Ecclesiasticum spectat; Oliva *de For. Eccl. part.* 3, qu. 20, num. 64.

(83. Sunt tamen et alii casus, in quibus Clerici Fori privilegium in criminalibus amittunt; veluti si Clerici sint Assassini, vel eorum fautores, et submissores; c. 1, *de Homicid.* in 6, si in habitu sæculari inventi fuerint delinquentes; cap. 1 *Apost.*, post delictum commissum Clericatum susceperint in fraudem Legis; Corvin. *de Pers. et Benefic. Eccl.* l. 3, c. 22, n. 9. Barbosa *Jur. Eccl. univ.* l. 1, c. 39, § 2, n. 69 et sequent.

tina 20 Februar. 1629. lib. 1 *Decr. Paul.* pag. 124.

(5. Sic Clerici quacumque de causa absentes gaudent Franchitia sibi competente, ead. Sac. Cong. Immun. in Biselien. 25 Maii 1638. lib. 3. *Paul.* pag. 61. in Bojanen. 30 Junii 1643. ibi, pag. 183. in Aquilana, 31 Decemb. 1667 lib. 1. *Decr. Altovit.* pag. 187. in Nullius Altamura, 7 Maii 1672. ibi, pag. 686. in Juvenacen. 16 Novemb. 1688. lib. *Decr. Martelli.* pag. 369.

(6. Amplia I. Etiam pro tempore, quo Clerici fuerunt negligentes illam petere Gabelariis, qui hoc ignorantes non dederunt exitum Communitati pro ipsius bonificatione; eadem Sac. Congregat. Immun. in Nullius Terlitii, 16 Novemb. 1688. lib. *Decr. Martelli.* pag. 369.

(7. Amplia II. Quamvis abfuerint ob metum Inquisitionis. *Ibidem.*

(8. Amplia III. Quamvis absentes non incedant in habitu, et tonsura, ac velut Laici inserviant personis privatis. *Ibidem.*

(9. Amplia IV. Quamvis absentes causa carcerationis secutæ de Ordine A. C. ead. Terlitii 21 Jan. 1676, lib. 1 *Decret. Altovit.* pag. 1200.

(10. Amplia V. Quoad absentem ob periculum vitæ, in eadem d. lib. pag. 1486, anni 1677.

(11. Amplia VI. Quamvis absentes ratione peregrinationis ad Annum Sanctum, pro tempore tamen dictæ peregrinationis; Bituntin. 12 Junii 1675, lib. 1 *Decret. Altov.* pag. 1108.

(12. Pariter debentur absentibus causa studii; Materan. 7 Maii 1704, lib. 3 *Decret. Vallem.* pag. 579, et 25 Junii D. A. et l. p. 589, Bovinen. 22 Jun. D. A. et l. p. 572.

(13. Item absentibus ex causa infirmitatis; Salernitana 10 Maii 1704, lib. 3 *Decret. Vallem.* pag. 580.

(14. Item absentibus qui docet cantum Gregorianum; Materanen. 4 Jun. 1704, lib. 3 *Decret. Vallem.* p. 585.

(15. Tandem Franchitiæ debentur Ecclesiasticis absentibus studiorum causa, vel ob lites pro capitulo aut pro suis bonis Ecclesiasticis; Juvenacen. 31 Julii 1674, lib. 1 *Decret. Alt.* pag. 975. Montis Casini 18 Junii 1680, lib. *Decr. Alt.* pag. 1988. Nullius Castellane 12 Jan. 1694, lib. 1 *Decr. Vallem.* pag. 99. Oritana 12 Decembris 1694, lib. 2 *Decret. Vallem.* pag. 271.

(16. Porro Gabelarii, qui debent bonificare Franchitias Ecclesiasticis forensibus, sed commorantibus in loco Terlitii, tenentur bonificare etiam Ecclesiasticis concivibus, qui eodem tempore sunt absentes ex quacumque causa; Juvenacen. 16 Novemb. 1688, lib. *Decr. Mar.* pag. 369, Terlitii d. die, pag. 370.

(17. Limita tamen, dummodo tempore absentiae alibi iis bonificata non fuerit Franchitia; Lycien. 8 Decembris 1688, lib. *Decr. Martelli* pag. 385, et 29 Novembris 1692, l. 1 *Decr. Vall.* pag. 5, Bitecten. 28 Martii 1693, l. 1 *Decr. Vall.* pag. 33. Ruben. 18 Julii 1700, l. 2 *Decr. Vall.* pag. 301.

(18. Sic Clerico, qui per annos quindecim a Patria abfuerat, et interim nesciebatur an viveret, non debetur Franchitia; Melphien. 31 Jan. 1703, l. 3 *Decret. Vall.* p. 471.

(19. Franchitia non debetur Sacerdoti pro bonis in Territorio loci, ubi non moratur, sed ubi moratur; Tranen. 2 Decembris 1670, l. 1 *Decret. Alt.* pag. 502.

(20. Sic Clericus Advena habens domicilium in alia Diocesi, ibidem debet frui Franchitia Farinæ, non obstante decreto vel sententia Curiae Episcopalis contra Clericos Advenas; Salernitana, 4 Septemb. 1703, lib. 1 *Decr. Vallem.* pag. 515.

(21. Similiter Franchitia competit Clerico in loco sui domicilii a multis annis non in loco suæ originis, et in quo ordinatus fuit; Lycien. 21 Jan. 1687, lib. *Decret. Martelli* pag. 40.

(22. Asserta consuetudo, quod Clericis absentibus competat medietas Franchitiæ

Farinæ, probanda est intra terminum sex mensium ab Episcopo præfixum; Motulen. 5 Maii 1699, l. 2 *Decr. Vall.* pag. 218.

(23. Franchitia debetur Clericis in ea quantitate, quam usque modo habere consueverunt etiam respectu colentium bona Ecclesiæ, et Beneficiorum, ac Patrimonialia, nec non respectu Custodum animalium, tam Ecclesiæ, quam Clericorum, quos quidem colentes et Custodes Sac. Congr. censuit non teneri solvere Gabellam dictam *del Foro*; Bovinen. 21 Junii 1644, lib. 3 *Decret. Paulucci* pag. 229.

(24. Unde Episcopus circa Franchitias Ecclesiasticorum curet omnino servari consuetudinum solitam, nec permittat quid innovari in eorum præjudicium; Trelesina 24 Maii 1670, l. 1 *Decret. Alt.* pag. 434.

(25. Apocha remissionis Franchitiæ Mollituræ, seu *del Macinato*, quamvis ad tempus factæ ab Ecclesiasticis in favorem Communitatis laicalis, non sustinetur; Cathacen. 3 Decembris 1686, l. *Decr. Mart.* pag. 15.

(26. Nullo modo annuendum est petitioni Ecclesiasticorum circa remissionem partis Franchitiæ ad septennium in favorem Communitatis; Caven. 24 Maii 1644, l. 3. *Decr. Paul.* pag. 229.

(27. Non est concedenda facultas Capitulo, et Clero donandi medietatem Franchitiæ, qua Personæ Ecclesiasticæ fruuntur; in una sancti Marci 12 Dec. 1645, l. 3 *Decr. Paul.* pag. 268.

(28. Sacra Congregatio censuit, Capitulum, et Presbyteros Terræ Carovineæ, qui medietatem Franchitiæ Farinæ absque facultate Sac. Congreg. mutuum dederunt Communitati in subsidium Universitatis, et pauperum, non incurrisse Censuras attentis circumstantiis in casu, de quo agitur; at Episcopus mandet restitui mutuum; Ostunen. 82, Apr. 1665, l. 3 *Decr. Paul.* pag. 634.

(29. Denegatur Episcopo posse applicare Franchitias Clericorum Monasterio in pœnam eorum qui non habent requisita; Sac. Cong. Conc. Trid. in Aquilana 23 Septembris 1659, l. *Decret. Rocci* pag. 207.

(30. At facultas ut Ecclesiastici pro reparatione Ecclesiæ Parochialis cedant quibusdam Franchitiis ad quinquennium conceditur; Lycien. 13 Sept. 1701, l. 3 *Decr. Vall.* pag. 379.

(31. Circumscripta reductione Franchitiæ Clericorum facta per Vicarium, servanda est primæ taxatio scilicet pro Sacerdotibus tumulorum viginti quatuor, pro constitutis in Sacris Ordinibus tumulorum decem et octo, et pro Clericis in Minoribus duodecim; Consentina 27 Aprilis 1632, l. 2 *Decr. Paul.* pag. 123.

(32. Clericis competit Franchitia duodecim tumulorum, donec ab eis probata sit consuetudo pro majori quantitate; Neritonen. 24 Aprilis 1663, l. *Decr. Rocci* pag. 481.

(33. Per modum provisionis resolutum fuit circa quantitatem controversam Franchitiarum competentium Ecclesiasticis, debere servari solitum locorum finitiorum;